



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Spolii Clericorvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

centia parochi illius loci, in quo assistit Salzed. dict. cap. 73. verf. vndecimo Spin. dict. glof. 15. num. 42. Sanch. lib. 3. difput. 19. num. 8. & 14. Guttier. dict. tract. de matrim. cap. 62. num. 5. vbi num. 10. refoluit non tantum proprium parochum, sed etiam Sacerdotem de illius licentia matrimonio assistentem valide assistere extra parochiam.

Nono parochum, vel ordinarium non posse concedere licentiam clerico non sacerdoti assistendi matrimonio, & si fiat esse nullum, refoluit Ledefm. in sum. p. 1. tract. de sacram. matrim. capit. 6. conclus. 4. verf. Seguefe lo segundo Sanch. lib. 3. difp. 34. nu. 10. Ceuall. d. quæst. 604. num. 58. Guttier. dict. tract. de matrim. cap. 62. num. 22.

Decimo parochus non sacerdos an validè assistat matrimonio Nauar. consil. 30. sub tit. de sponsal. in 1. edit. & consil. 9. sub tit. de Claudef. de spons. in 2. edit. in Silua lib. 6. casu 119. in fin. Salzed. dict. cap. 7. verfic. 14. Henric. in sum. lib. 11. c. 3. §. 5. & lib. 14. c. 6. nu. 3. in fine Emanu. in sum. c. 218. nu. 9. Ledefm. in tract. de matrim. q. 45. art. 3. punct. 3. dub. 3. conclus. Ceuall. dict. q. 604. a num. 56. Zerol. in praxi Episcopali p. 2. latè Cened. practica. lib. 1. q. 30. n. 54. cum seq.

PRAXIS SPOLII CLERICORVM.

RESOLVT. CCCXXXII.

- 1 Ornamenta, paramenta, & vasa sacra, Misalia, &c. non veniunt appellatione spoliolum, sed applicantur ipso facto post obitum beneficiatorum Ecclesiis, quibus præsuerunt similiter scamna, arca, & suppellectilia domestica.
- 2 Destinata ad vsum Ecclesiasticum, etiam si non sint benedictione aliqua consecrata, non veniunt nomine spoliolum.
- 3 Aulea, & Tapetia veniunt appellatione spoliolum, etiam si Episcopus aliquando Ecclesiæ commodauerit.
- 4 Bulla Pij V. non comprehendit ea, quæ beneficiatus in vita post, vel ante renunciatum beneficium commutauit, vel donauit.
- 5 Acquisita per praelatum post beneficium adeptum censentur acquisita nomine Ecclesiæ, & de redditibus Ecclesiæ.

De qua mobiliū specie fiat spoliolum.

IN hac quæstione recurrendum est secundum Mainat. fol. 680. ad extraneantem Pij V. in hac materia occasione spoliolum editam anno 1567. Kal. Septembris Pontif. ann. 1. quæ incipit Romani Pontificis providentia la 1. & est in numer. consil. ipsius Pontificis xl i i i. in Bullario magno f. mihi 995. & in lib. Red. de Spol. in calce ipsius tract. fol. mihi 449. & apud Nauar. com. tit. de spol. ad cap. non liceat 12. quæst. 2. §. 8. fol. mihi 45. & nouissimè in summ. Bull. pag. 461. sub titul. spoliolum cleric. vbi etiam in fine addit.

- Habetur igitur in dicta extrauaganti. Primo, quod omnia, & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa, nec non Misalia, & Gradualia accantus firmi, & musica, alijsque quomodolibet nuncupati libri, & alia res sacræ etiam auri, & argenti, ac quæcunque alia bona per quoscunque Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, seu Commendatarios, & alios quoscunque, quæcunque, & aliacunque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura secularia, & quorumuis ordinum regularia in titulum, vel commendam, aut alias quomodolibet obtinentes quocunque nomine, vel titulo censentur, etiam si de illis, &

Aloys. Ricc. Praxis, Pars I I I.

eorum qualitatibus specialis, & expressa mentio habenda foret ad vsum, & cultum diuinum etiam in eorum priuatis ædibus, & cappellis, vel oratorijs destinata tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta omnino spectent, & pertineant, ac spectare, & pertinere censeantur ad singulas Ecclesias, monasteria, etiam connentum carentia, & beneficia huiusmodi, in quibus resederint, aut quibus præfuerint aliaque obtinuerint.

Illaque post eorum obitum eisdem Ecclesijs, monasterijs, & beneficijs eo ipso applicata, & incorporata sint, & esse censæ, ut etiam si in Romana curia, & procul ab illa decesserint, vel ad illa nunquam accesserint, ita ut liceat illis defunctis in eisd. Ecclesijs, monasterijs, & beneficijs successoribus, ac Ecclesijs, & monasterijs huiusmodi capitulis, Conuentibus respectiue illa propria autoritate liberè apprehendere, ac eorum Ecclesijs, ac Sacrilijs applicari, & incorporari.

Nec sub quibuscunque facultatibus testandi, & alias disponendi de bonis per eos ex altari, vel alias quomodolibet acquisitis per quoscunque Rom. Pontif. prædecessores, & successores dict. Pij V. ac per ipsum sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibuscunque clausulis, & decretis etiam motu proprio, & alias quomodolibet concessis, & concedendis comprehenduntur, neque sub appellatione spoliolum veniant.

Ac quæcunque donationes, relicta, & legata testamentaria, & codicilli, & alia vltimæ voluntates, seu spolia deluper contra dicta constitutionis tenorem, quomodolibet pro tempore facta quoad præmissa nulla, & inualida, nulliusque roboris, & momenti existant.

E personis etiam Ecclesiasticis, seu locis etiam pijs, aut Ecclesijs quibuscunque, in quorum, seu quarum fauorem pro tempore facta fuerint minimè suffragentur, nec eisdem personis, seu locis, vel alijs Ecclesijs huiusmodi aliquod ius in rebus prædictis, vel ad illas acquiri possit.

Quinimo res sacras, ac alia bona prædicta quocunque nomine, vel titulo pro tempore detinentes ad illa cum effectu restituendum, & consignandum Ecclesijs, & monasterijs, ac beneficijs per defunctum quomodolibet acquisitis minimè arcentis quibuscunque dispositionibus de illis in contrarium quomodolibet factis omnino teneantur, & ad id per censuras, & penas etiam furti, & sacrilegij, ac alia iuris, & facti remedia opportuna cogi, & compelli possint, & debeant.

Quodque scamna quæcunque Cathedræ Arce, & etiam lignæ, vel lapideæ etiam marmoreæ mensæ, & tabule, ac quæcunque dolia, seu vasa vinaria vacua, & alia similia suppellectilia domestica per quoscunque presbyteros, seu clericos ab humanis pro tempore decedentes tempore eorum obitus in Ecclesijs, seu eorum domibus Ecclesiarum earundem, vel alibi vbi vis locorum relicta sub spoliolum appellatione minimè veniant, nec pro spolijs vllō modo reputari possint etiam si ex redditibus, & prouentibus, ac fructibus beneficiorum, quæ dum venirent obtinebant acquisita fuerint.

Et ideo collectores relinquunt ornamenta, & paramenta, nec non vasa, & libros, aliaque diuino cultui dicata huiusmodi Ecclesijs, monasterijs, cappellis, & alijs beneficijs huiusmodi eorum rectoribus, & alijs præfatis liberè dimittant, & consignent, ac consignari faciant cum effectu, ac suppellectilia prædicta locis, vbi consisterint relinquunt.

Hec est continentia dict. extran. hic distinctè ut præmittitur relata subnectam modo notabilia trad. per Nauar. vbi supra.

E primo, quoad primum genus bonorum supra

S 3 me-

memoratorum animaduertit huiusmodi constitutionem esse nouissimam, quippe nunquam antea hoc statutum, imo ante hac horum aliqua fuisse spolia, illa valent, quæ erant empta redditibus Ecclesiasticis, alia vero, quæ ex alijs comparata essent patrimonialia, vel quasi, de quibus disponere eis licebat, & ut ibi dixit, ea quæ beneficiarij tenent empta de suis redditibus patrimoniorum, & seruant in domibus suis, ut cum voluerint celebrent, vel celebrari faciant missas iure antiquo inter quasi patrimonialia annumerari poterant, cum etiam laici talia soleant habere, & in heredes transmittere subiungens, quod licet res sacræ nullius hominis sint, vsus tamen illarum honestus, & religiosus potest esse etiam apud laicos.

Secundo aduertit præfata bona compræhendi in d. extrauag. etiam si non essent aliqua benedictione, consecrata.

Non tamen compræhendi illa, quæ beneficiarij habent empta ad donandum alicui Ecclesiæ diuersæ à sua, vel ad permutandum cum aliquibus eiusdem generis, vel alijs sibi necessariis.

Et quod hæc noua constitutio excipit à iure antiquo solum ea, quæ sunt ad vsum Ecclesiasticum destinata, seu deputata.

Hinc esse, quod non compræhendi in prædicti aulea & tapetes, quæ beneficiarius habet principaliter ad domum suam ornandam, licet non vnuquam ea commodet Ecclesiæ, vel alijs adagendum festiuioribus dies sacros.

Neque compræhendi ea, quæ in vita post, vel ante renunciatum beneficium commutauit, vel donauit.

Faciens quoque illationem, quod si quis beneficiarius in nundinis emisset multos calices sacros, & multa ornamenta ad celebrandas missas idonea, multa etiam missalia, & libros musicos quo alijs, & alijs ea venderet non teneri ad relinquendum illi Ecclesiæ sui beneficij, si morte præuentus non potuisset illa vendere.

In tertio notabili, quod est speciale ad §. insuper aduertit.

Quod etiam scamna, Cathedra, Arca, & cætera bona, quæ secundo genere, siue secundo loco, ut supra nominantur eximuntur à numero spolicorum, quamuis ex iure antiquo debuissent nominari si fuerint quæstita à redditibus Ecclesiasticis, & ita, quoad hæc ius nouum induci licet quoad ea, quæ constarent esse comparata ex bonis patrimonialibus, vel quasi ius antiquum contineat.

Et sic, quod huiusmodi suppellectilia indistinctè permittantur heredibus, etiam si alioquin diuites sint, quibus sine iusta causa non posse donari aliqua ex redditibus Ecclesiasticis quæstita sine intuitu paupertatis fanciuerit Conc. Trid. sess. 25. c. 1. de reformatione.

Subiungens tamen se consulere huiusmodi heredibus diuitibus, quod tantundem in opera pia impendant quantum prædicta suppellectilia valere possunt, si eis constaret ea fuisse quæstita ex superfluis, quæ debebantur pauperibus, alioquin eos non fore securos quoad forum interius, cum ipsa extrauag. nulla contineat verba, quæ id efficaciter probent.

Ego autem in hac sententia manerem quando etiam heredes huiusmodi suppellectilia locis ubi constituerint relinquunt, & talem fuisse mentem summi Pontificis præter quam eo casu, quo ipsi compertum haberent ea fuisse à beneficiario, aliter quam ex fructibus ipsius beneficij comparata, & acquisita, quia certissimi iuris est, quod acquisita ex fructibus Ecclesiæ sunt successoris, & de illis testari non posse beneficium obtinentem cum administratione, nisi ex licentia Pape, sic affirmante Redoan. de Spol. q. 7. n. 16. & seq. & per plures tex. ibi relatos.

Et quod acquisita per prælatum præsumuntur ac-

quisita de bonis Ecclesiæ ad trad. per eundem Redoan. quæst. 9. num. 33. & sequent. ubi tamen videre est propter distinctiones ibi ad plures casus relatas, & facit in 25. q. num. 4. ubi, quod acquisita post beneficium adeptum præsumuntur intuitu Ecclesiæ, & de redditibus Ecclesiæ acquisita, & in tantum valere, illam præsumptionem, quod ex ea sententia ferenda sit pro Ecclesiæ, & prout ibi latè prosequitur, & comprobatur.

RESOLVT. CCCCXXXIII.

- 1 Equites Hierosolymitani post professionem sunt verè Religiosi, tenentur seruare statuta sui ordinis num. 2. & quicquid acquirunt acquirunt religioni num. 3.
- 4 Licentia, siue assensus disponendi de bonis in vita non extenditur ad tempus mortis, & è contra.
- 5 Prohibitio alienandi facta equitibus Hierosolymitanis non extenditur ad mobilia.
- 6 In ultima voluntate non disponunt, nec de mobilibus, nec de immobilibus absque licentiâ magistris, vel capituli.

An bona equitum Diui Ioannis cadant sub spolio.

In hac quæstione dico quatuor, Primo quod recurrendum est ad statuta dicti ordinis, ac religionis, ut rectè probauit post alios Azor lib. 12. moral. cap. 11. quæst. 5. nam post emissam professionem sunt verè religiosi, & gaudent priuilegio religiosorum, ut notat author citatus, & probat Abb. in rub. de irregularitat. ubi alij Canonistæ de Franchis in decis. 479. & alij innumeri quos recollegi ego ipse in collect. decis. cap. 26. & in prax. alienat. rer. Eccles. decis. 76. & alibi Rodrig. to. 3. quæstion. regul. quæst. 1. art. 7. & consequenter per emissam professionem tenentur seruare statuta dictæ religionis, nam illis ligantur, & idcirco quæst. proposita decidi debet secundum prædicta statuta, quæ dum casus accidit adamussim vidi, & consequenter hic subijciam.

Dico secundo equites Hierosolymitani quicquid acquirunt religioni acquirunt quoad proprietatem, sibi verò quoad vsumfructum vita durante, ita habetur in constitutionibus dictæ religionis tit. 16. in rubr. de contract. & alienation. cap. 10. cum duobus seq. ibi ideo sancitum est, quod Fratres ordinis nostri, qui per emptionem, donationem, aut alia quacunque ratione bona, prædia, census, seu annuos redditus, vel iurisdictionem acquisiuerunt, & sibi vendicauerunt nullo pacto absque Magistris, vel Capituli generalis consensu vendere, alienare, &c. ubi disponitur, ut licentia debeat obtineri in scriptis à dicto magistro, vel capitulo generali, & debet esse in specie, & in vita, & in morte, quia si esset licentia disponendi in vita non extenditur ad tempus infirmitatis, ex qua decesserit, quia debet in specie hoc constare in ipsa licentia, & quicquid in contrarium gestum fuerit est irritum, cassum, nullum, & pro non facto, ut in dictis iuribus habetur, & est etiam clarum secundum ius commune, quoniam licentia, siue assensus disponendi de bonis in vita non extenditur ad tempus mortis, & è contra, ut multis iuribus, & doctorum autoritatibus probant Freccia in tracta. de feud. lib. 2. quæst. 4. cum pluribus sequent. Molin. de primogen. Hispanor. lib. 2. cap. 11. Surdus decis. 323. & sæpe alias, & ad plura inferunt, quæ omitto, nam clarum est assumptum, licentiam esse stricti iuris, & tantum extenditur quantum sonat non aliter.

Dico tertio prohibitionem prædictam non habere locum in bonis mobilibus dictorum militum, quia dum prohibitio expressè loquitur, & specificè de bonis immobilibus, ut patet ex verbis relatis num. 4. non

4. non se extendit ad bona mobilia, quia statuta prohibitiua non se extendunt vitra casum expressum, vt est clarum secundum omnes, & pluries fuit repetitum par. 1. & etiam supra consil. 17. quod magis patebit ex sequenti dicto.

6. Dico quarto milites Hierosolymitani non possunt in vltima voluntate disponere de bonis immobilibus, nec etiam mobilibus etiam per ipsos acquisitis sine licentia magistris, vel capituli generalis ipsorum militum, hoc dictum est clarum, quoad vtramque partem secundum dicta statuta; prima pars patet ex diffusis in primo dicto, secunda probatur etiam ex eiusdem constitutionibus titulo quinto de communi errario cap. 20. & 21. & in nouis statutis vniuerſiter editis de anno 1597. cap. 33. vbi disponitur, quod bona mobilia dictorum militum spectant ad commune arrarium dicte religionis, nisi essent vasa, vel bona destinata ad cultum Ecclesie, quia tunc ad Ecclesiam dicte religionis pertinent, vel quando sunt bona cappellanorum, seu Fratrum de obedientia dicti ordinis, tunc iure spolij pertinent ad illos commendatores, in quorum commendis Prioribus, per Bailliatus residentiam, aut Itagium tales cappellani habuerunt, vt habetur loco cit.

RESOLVT. CCCCXXXIV.

- 1 Spolium non fit de ornamentis, paramentis, misalibus, vasis, libris cantus firmi, & aliorum similium.
- 2 Item nec cadunt in spolio scamna, arca, cathedra, dolia vacua, & similia.
- 3 Nec bona patrimonialia beneficiatorum, & quae eis ex aliqua successione obtulerunt, nam de eis possunt disponere.
- 4 Quaesita ex bonis Ecclesiasticis ab intestato succedentibus obtulerunt, si verò non ad sint, Ecclesie quibus beneficiati praesuerunt incorporantur.
- 5 Redditi beneficiarum cadunt sub spolio non autem aliunde quaesita ratione ordinis, nec ea quae beneficiati seruant parcius viuendo n. 6. vel literas docendo n. 7. vel pro expeditione bullarum rogata, n. 8.
- 9 Spolium non fit quando beneficiorum fructus triginta duos non excedant.
- 10 Factum, quod potest se habere ad delictum, & non delictum praesumitur in meliorem partem.
- 11 Bona empta per beneficiatum de fructibus beneficiorum pro sua Ecclesia, vel quae locis suis tradidit non cadunt sub spolio, nec acquisita de distributionibus quotidianis num. 12.
- 12 Incolarum vrbis bona, & Romanam curiam sequentium non cadunt sub spolio.
- 13 Facultas testandi non suffragatur clerico si non testetur.

De quibus rebus non fit spolium.

Est notandum secundum Leonem in praxi Archiepiscopali, quod omnia, & singula ornamenta, & paramenta, ac vasa, nec non missalia, & gradualia, ac cantus firmi, & musicae aliique quomodolibet nuncupati libri, & aliae res sacrae etiam auri, & argenti, ac quaecunque alia bona per quoscunque prelatos, & alios quoscunque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura saecularia, & quorumvis ordinum regularia quomodolibet obtinentes ad vsum, & cultum diuinum, etiam in eorum priuatis aedibus, & cappellis, vel oratorijs destinata tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relictas spoliorum appellatione non veniant, sed eadem ad Ecclesias, quibus d. defuncti praesuerunt spectare, & pertinere decreuit, vt in ea constitutione. Pij V. sub dat. Romae anno 1567. in Bullar. Roman. cap. 44. & per Nauar. in §. 8. num. 2. de spol. cleric.

Aloy. Ricc. Praxis, Pars III.

Secundo nec cadunt in spolio quaecunque scamna, cathedra, arca, & etiam lignae, vel lapideae, etiam marmoreae mensae, & tabulae, ac quaecunque dolia, seu vasa vinaria vacua, & alia similia suppellectilia domestica, vt idem Pius V. statuit in ea consil. §. insuper, & similia appellatione omnia alia lignaminum mobilia cuiuscunque qualitatis existentia, comprehensa censentur, & haec expressè sunt exclusa, & Ecclesijs incorporata per dictam Pij Quinti constitutionem ibi, eo ipso applicata, & incorporata sint, & esse censentur, quae significant sententiam iuris glori. in cap. in penis de regim. iur. in 6. Felyn. post alios quos citat in capitulo Rodolphus num. 28. de rescript. & Nauar. eod. comment. de spol. cleric. §. 8. n. 5.

Tertio praeter exempta per dictam constitutionem sunt etiam a numero spoliorum exempta omnia bona patrimonialia, vel causa donationis successione, seu legatorum, aut ex fructibus eorundem bonorum patrimonialium, & donationum, vel successionum acquisita, de quibus beneficiati liberè testamento donatione, vel quocunque alio modo, & titulo disponere possunt cap. quia nos, & cap. relatum il 2. de testamentis cap. 1. de success. ab intest. Innoc. in c. cum in officiis num. 2. verbi. si autem eod. tit. Bal. in auth. licentiam C. de Episcop. & cler. Alexand. in consilio 101. n. 2. lib. 7. Corn. consil. 314. n. 2. vol. 3. & in consil. 79. numero 3. verbi. tamen tecum est in aliunde quaesitis &c. vol. 4. Nauar. eodem com. de spol. cleric. in princip. num. 2. verbi. dixi quaesita ex bonis Ecclesiasticis, & ab intestato decedentibus dicta bona ad consanguineos, qui eis ab intestato legitime succedunt deuoluuntur, & sine legitimis successoribus decedentibus Ecclesijs, quibus defuncti praesuerunt incorporantur, vt in auth. de Eccles. tit. 3. interdictimus verbi. si quis autem Episcopus col. 9. cap. final. 12. q. 5. glori. fin. in cap. requisiti ext. de testam. & in cap. 2. de successoribus ab intest. & Innoc. in d. c. cum in officiis n. 5.

Quarto bona quasi patrimonialia, quae sunt quaesita ratione clericalis ordinis, vel officij alia ratione, quam iuris percipiendi fructus beneficiales, vt quae sacerdotes pro elemosyna recipiunt missas celebrando, cappellanos agendo, praedicatoris, confessorij, & muneris, aut alios spirituales actus exercendo, & vicarij generalis, aut aliud officium Ecclesiasticum temporale administrando cap. quia nos, & ibi Innoc. de testamen. cap. relatum §. ceterum, eodem tit. & post Abb. Hoy. Card. & Franc. tenet Nauar. in d. tract. de redd. Eccles. q. 1. mon. 19. n. 1.

Et ratio differentiae, quod redditus beneficiorum cadunt sub spolio, non autem quaesita ratione ordinis clericalis, ea est, quod bona beneficiorum habent onus dandi superflua pauperibus, & ratione ordinis quaesita tribuuntur eis sine vilo onere. Nauar. eodem mon. 19. in fin.

6 Quinto beneficiati de his, quae de suo honesto victu parcius viuendo seruant, licite disponere possunt, quia eo modo sua quasi indutria, & labore quaesita censentur patrimonialia, quae propterea in spolio venire non possunt, vt sensu Sanctus Thomas 2. 2. q. 181. artic. 7. Maior in 4. dist. 24. q. 17. probant Adria. in 4. de test. q. 12. & Sor. lib. 10. q. 4. artic. 3. de iur. & iur. quos sequitur approbando, tenendo, & firmando d. conclusionem Nauar. d. tract. de redd. Eccles. mon. 76. n. 1. tom. 1.

7 Sexto quaesita alias literas docendo publice, vel priuatim legendo, dummodo sine praedictio residentiae quo ad beneficiarios obligatos ad residendum personalem, quae dicuntur etiam quasi patrimonialia, & praesertim si ob tenuitatem beneficiorum, ac necessitatem, vel inopiam insurgentem haec officia exerceantur.

S 4 tur

tor l. legatis §. si ex officio, & ibi glos. in versic. officium, & Bart. num. 2. de leg. 3. & Innoc. in cap. cum in officiis num. 4. de testam. quia ex legitimo officio quaesita dicuntur d. cap. relatum §. ceterum cum alijs supra alleg.

8 Septimo donata in vita saltem, quae iuste donantur loco eorum, quae de proprio pro expeditione bul-
larum Episcopatum, vel aliorum beneficiorum, & in paramientis Ecclesiasticis, ac mobilibus in paranda domo ante fructuum beneficiorum perceptionem exponuntur, quae proculdubio exposita non fuerunt ex redditibus Ecclesiasticis, & tunc loco eorum, quae Ecclesiae acquiruntur, ne sub spolio cadant beneficiarius poterit tantundem tuta conscientia, & legitime in vita donare c. in iunctum §. item, & cap. seq. 12. q. 2. Nauar. eodem com. de spol. cler. §. 6. num. 2. ante versic. 3. noto, & tit. de reddit. Eccles. quaest. 1. mon. 27. num. 3. circa fin. eademque ratione tit. donationis possunt legitime sacerdotes fratribus, aut alijs consanguineis rusticis, aut alias pauperibus donare, qui (ut fere fit) labore, sudore, industria, ac expensis fratrum, vel parentum rusticorum laborantium in sctis ad edificandum, donec ordinem sacerdotalem suscipiunt, manutinentur, quia ad antidota sunt obligati, & donant ad extinctionem debiti praecedentis.

9 Octavo nullum spolum camera fieri, nec quicquam a quibusvis spoliis camera collectoribus exigi, vel percipi potest per obitum eorum, qui dum viuerent vnum, vel plura beneficia Ecclesiastica obtinebant, cuius, vel quorum fructus redditus, & proventus triginta ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annuum non excedebant, aut qui pensiones annuas super quibusvis fructibus Ecclesiasticis vsque ad d. valorem annuatim, & non ultra perceperint, ut in dict. constit. Pij Quinti in Bull. Rom. cap. 43. & in dict. com. de spol. cler. §. 8. num. 1. versiculi. praeterea, & num. 7. quia cum ex similibus beneficiis, & redditibus vix possit quis propter eorum tenuitatem sustentari si quis non excedens dictos annuos redditus nihilominus post obitum relinquat bona acquisita, pecunias, aut mobilia praesumuntur acquisita ratione ordinis clericalis officij Ecclesiastici, aut alterius legitimi exercitij, quia quando factum potest se habere: ad delictum, & non delictum praesumitur in meliorem partem Bart. in l. non solum §. sed ut probari ff. de non. op. nunc. Abb. in cap. auditis, & ibi Felynus numero 33. de praescrip. & in cap. praesentia numero 13. vers. sed ultra de probat. & Gabr. in conf. 175. numero 2. vol. 1.

Nec obstat, quod res, quas clericus post clericatum acquisiuit praesumantur de redditibus Ecclesiae acquisita, ut per Innoc. eod. capitul. cum in officiis num. 3. de testam.; Innoc. enim loquitur, & eius dicta procedit in bonis a praetis defunctis relictis qui amplios redditus habebant, sed hoc casu, quo beneficiati iure nouo per dictam constitutionem inducto habent legem certam, & fauorabilem, qua non excedens annuum redditum Ecclesiasticum triginta ducatorum non faciunt spolum, si acquirunt praesumuntur legitime acquisiuisse, ut sentit Innoc. in dict. cap. cum in officiis n. 3. vers. quidam tamen, & hac praesumptio in iure, & maiori verisimilitudine fundata contrariam praesumptionem excludit cap. quia & c. literas extra de praesumptionibus, & ibi Innoc. eod. num. 3. & cum fundamentum intentionis camerae consistat in illicitis, quae pretenduntur ab Ecclesiastico gesta illud probare tenetur, cum etiam reus in excipiendo efficiatur actor, & eius exceptionem probare teneatur l. 1. ff. de exceptionibus Felyn. in c. iudicis num. 33. de praescrip. maxime si haeres repe-

riatur in possessione, quia tunc non est priuandus, do-
nec probetur bona cadere sub spolio, & camera onus probandi incumbit c. nulli iunct. glos. 12. q. 5. & glos. in cap. sint manifestae in ver. probatur in fin. ead. causa, quaest. 1.

11 Nono nec cadunt sub spolio, quae beneficiatus dum viueret emit ex redditibus Ecclesiasticis pro sua Ecclesia, vel ei, aut alijs Ecclesiis, vel locis pijs tradidit sine fraude, ut si quis fundaret beneficium Ecclesiasticum, & emeret redditus pro dotandis amore Dei puellis, aut ad alia opera pia erogarent dummodo ipso viuente dominium fuerit translatum, quia tali casu tempore mortis Ecclesia, seu alia loca pia habent dominium, & possessionem, & tunc beneficiatus est eisdem bonis exutus, quae propterea non vacant, nec in spolio cadere possunt Nauar. in d. com. de spol. cleric. §. 1. num. 4. §. 6. num. 2. iunct. vers. tertio noto.

12 Decimo nec fit spolum de distributionibus quotidianis, quia efficiuntur bona propria clericorum, uti quaesita ratione laboris, & legitimi seruitij, de illis Ecclesiastici disponere possunt Gemin. in capitul. praesentis de offic. ord. in 6. Dec. in consilio 280. columna 1. Couar. in cap. cum in officiis numero quarto, de testam. Redo. in tractat. de spol. Eccles. q. 1. numero vigesimo septimo, versic. vterius canones permittunt, & Paris. qui de communi testatur in consilio 33. col. 2. vol. 4.

13 Vndecimo non cadunt sub spolio bona a quibusvis vrbis incolis, seu curiam Romanam sequentibus mobilia immobilia se mouentia, pecuniae localia, siue monilia, actiones, res, & iura quaecunque ab eisdem incolis, & curiam Romanam sequentibus in dict. vrbe, & eius districtu consistentibus empta, aut alias quouis modo quaesita si eos in d. curia, seu eius districtu decedere contigerit, de quibus testamento, aut alio titulo disponi potest, & decedentibus ab intestato proximiores agnati succedunt ut in extrauagant. Pauli III. sub datum Romae 1549. sexto Idus Martij, ut per Nauar. eodem com. §. 6. numero primo, sed quia dictae extrauagantis vigore fuerat concessa facultas testandi in fauorem propriorum filiorum illegitimorum, seu spurriorum, ac de iure incapacium, seu alias prohibitorum Pius Quintus ex causis adductis facultates testandi, aut quouis alio modo disponendi de acquisitis ex bonis Ecclesiasticis, ac de alijs rebus etiam proprio labore partis ad commodum illegitimorum etiam legitimorum, & habitationes illegitimis ad succedendum in bonis feudalibus, & emphyteuticis Ecclesiasticis concessas reuocauit, ut in constitut. tit. sub datum Romae anno 1570. sexto Calend. Februarij, ut in Bullar. Romano capitulo 120. Ac demum reuocationem ampliando illam procedere voluit etiam quoad bona patrimonialia Ecclesiasticorum, in quibus illegitimi, aut alias de iure incapaces, nec haeredes institui, nec succedere posse decreuit, ut in literis sub annulo Piscatoris expeditis datum Romae die septima Martij 1572. in eod. Bull. cap. 152.

14 Ultimo non cadunt sub spolio, bona Ecclesiasticorum decedentium condito testamento, modo sint legitima facultate testandi suffulti, quae tamen non suffragantur, si qui illam obtinuit non testetur argument. l. hac consultiissima, & l. ex imperfecto C. de testament. & Nauar. dict. com. §. 7. numero sexto, nisi in eadem facultate caueatur, quod etiam ab intestato proximiores in gradu succedant, quia tunc contra cameram Apostolicam lata interpretatio est facienda argument. text. in l. 3. ff. de constitut. princip. quem sequitur Bartol. in l. si quando numero primo, C. de inoffic. testament. & solus Papa facultatem testandi concedere potest Nauar. eodem commen. §. 9. numero 10.

ro, quia ipsi soli, uti vniuersali Domino bonorum, omnium Ecclesiasticorum dominum esse, & D. N. I. Christi, non solum ea ratione generali Domini est terra, & plenitudo eius, sed etiam speciali censura, & dispositione hominum, & hoc esse certum, & de fide tenet Nauar. in tractat. reddit. Eccles. quaestione prima, mon. 40. numero octauo, & quocunque casu hæc omnia procedunt duobus concurrentibus, vno in abstinentia videlicet ab illicita negotiatione, & aliis a sacris canonibus prohibitis, & altero in faciendo nempe residendo, si ipsi habeant beneficia personalem residentiam requirentia ex alibi allegatis.

RESOLVT. CCCCXXXV.

- 1 *Expensa funeris, & infirmitatis, debet fieri de bonis Spoliorum prælati, non autem de bonis patrimonialibus.*
- 2 *Quæ circa prælati cadauer versantur, pertinent ad Ecclesiam, quæ verò in apparatu ad hæredes.*
- 3 *Expensa funeris quæ pertinent ad solatium vinorum, spectant ad hæredes.*
- 4 *Vestes lugubres factæ famulis Episcopi defuncti debent deduci, & persolui ab Ecclesia, seu camera quæ succedit.*

Camera Apostolica, quæ succedit in spoliis, an teneatur ad expensas funeris.

Pro resolutione dubii prædicti, præmittendum est, quod Panormit. in capitul. ut præterita de elect. & in capitulo primo, de solut. tenuit expensas funeris, & infirmitatis debere fieri de bonis Spoliorum, non autem de patrimonialibus prælati, si illa reliquerit, ut ita etiam indistincte habetur per Francisc. Marc. in decisione 43. voluit etiam Ioan. Francisc. in tractatu de officio, & potestate sede vacante quaestione octaua, & Vbald. in tractat. de canon. Episc. & paroch. capitulo decimo tertio, & Abb. in disputation. incipient. Sempron. clericus in 1. dubio inquit, quod ea, quæ circa prælati cadauer versantur ad Ecclesiam pertineant, quæ verò in apparatu erogantur, ad hæredes prælati, & videtur voluisse idem Abb. in capitul. ut præterita columna. penultim. de election. tradit Dec. consil. 157. numero primo, volumine 1. in funere Cardinalis Triuultii.

In hoc autem articulo est etiam Capycii decif. 84. qui resoluit dubium cum distinctione, cuius decisionis tenor est videlicet.

In causa Reverendi de Corduba Episcopi Scalensis, cum Magnificis Vito Pisanello, & fratribus super spoliis dicti Episcopatus, in qua ipsi de Pisanello volunt deducere funeralia per eos facta quondam Episcopo prædecessori eorum Patruo, fuit dubitatum, an inter alia funeralia, dicti conuenti possint deducere culcitram sericam, & sepulchrum Marmoreum, ac vestes lugubres factas ipsis nepotibus, earumque vxoribus, filiis, & filiabus, & generis, seruitoribus quoque Episcopi prælati, allegabatur pro reis conditio defuncti, quia Episcopus, item, quia solitum est Neapolitanorum Episcoporum decedentium, qui cum dicta pompa sepeliuntur, item quia in funerum impensa omnia prædicta venire intelliguntur, verum Abbas in disputatione sua incip. Sempronius clericus super primo dubio concludit, & tenet, quod quædam sunt impensæ funerum, quæ tendunt ad remedium, seu solatium animæ defuncti, uti impensa, quæ fit circa clericos confluentes ad officium sepulturæ, & in similibus, & in istis teneatur Ecclesia, etiam si defunctus alium hæredem habeat in patrimonialibus, quædam impensæ sunt, quæ tendunt ad vinorum amicorum solatia, ut apparatus funeris, constructio sepulturæ speciosa, exe-

quiarum pompa, quæ multi induantur vestibus luctuosis, & in his Ecclesia non tenetur, & eandem distinctionem firmat idem Abb. in capit. ut præterita de electione, ego fui in voto ob dictam authoritatem, quod pauca reperiuntur in funeribus prælatorum ad quæ Ecclesia sit obligata, nisi tantum ad medelas ad debita defuncti ex spoliis tamen soluenda, & ad funeralia, dempta tamen culcitra, & cantaro, ac vestibus lugubribus, & quoad authoritates, & iura, quæ volunt ista venire appellatione funeralium intelliguntur, quando quis est de suo sepeliendus, non in prælato, bene votaui, quod vestes lugubres factæ famulis Episcopi deduci debeant, D. Martialis commissarius volebat, quod vestes factæ Nepotibus deducantur, alia non, præterquam ea, quæ dixi supra in voto meo, D. Mercerus concurrebat mecum, sed volebat, quod cantarus etiam deduceretur D. Ioan. de Palmerio erat in voto, quod omnia deducerentur iuxta eorum intentionem d. Viceprothonot. in effectu mecum concurrebat.

RESOLVT. CCCCXXXVI.

- 1 *Succesor in prælatura tenetur ad solutionem debitorum contractorum occasione Ecclesiæ.*
- 2 *Camera succedens prælato, seu beneficiato habenti administrationem tenetur ad debita contracta occasione Ecclesiæ.*
- 3 *Beneficiatus non habens administrationem, facit fructus suos, & potest de eis testari ab intestato tamen succedit Ecclesiæ.*
- 4 *Sufficit assertio, ad probandum quod prælatus contraxerit debita occasione Ecclesiæ.*

Camera Apostolica, quæ succedit in spoliis an teneatur ad omnia debita prælati defuncti.

Ex textu in c. 1. de solut. expressè disponitur, successorem in prælatura, teneri ad solutionem debitorum contractuum occasione Ecclesiæ tantum, & ita not. ibi Do. Abb. Do. de Rot. decif. 41. alias 855. incip. cum Camera Apostolica, dixerunt posse fieri distinctionem in habente administrationem, & non habente: Primo casu dicunt teneri Camera Apostolicam, siue successorem, etiam de fructibus perceptis in vita prædecessoris ad debita contracta occasione Ecclesiæ, & ad quæ solum tenetur Ecclesia d. c. 1. de solu. Secundo casu teneatur ad omnia debita, quatenus fuissent fructus, & prouentus, quos ante mortem fecerat suos, quia talis beneficiatus non habens administrationem, omnes illos fructus, & prouentus perceptos in vita sua, adeo facit suos, quod potest testari de illis, & nisi testetur de illis ab intestato succedit Ecclesia argu. not. per glos. in cap. presenti de offi. ordi. lib. 6. sed hoc hodie non puto procedere, cum omnia sint spolia. Francisc. Marc. in allegata decifio. 437. primo tomo, nulla facta mentione de dicta decifio. Dom. de Rota simpliciter dicit, quod Camera Apostolica, seu successor in beneficio, seu prælatura teneatur ad debita contracta occasione Ecclesiæ, & quod non requiratur probatio, quod debita sint contracta occasione Ecclesiæ, sat enim est, quod appareat ex assertione, quod Ecclesiæ occasione sit contractum debitum, vel aliter appareat, prout etiam tenuit Abb. in dict. capitulo primo, de solutio. sequen. opin. Hostien. in cap. grauis extra de pact. ad quem etiam se remiserunt Domini de Rota in d. decif. in fine.

RESOLVT. CCCCXXXVII.

- 1 *Si constat prælatum in testamento reliquisse res Ecclesiæ, collector Camera Apostolicæ immittendus est in pos-*

- in possessionem hereditatis.*
 2 Si dubitatur an praelatus reliquerit res Ecclesie, non est
 excludendus haeres ab intestato.
 3 Possessio, quae est apud Episcopum, est nomine Ecclesie.
 4 Si bona praelati reperiuntur penes heredem, non spoliabi-
 tur de facto.

Concurrente collectore Apostolico cum haerede institu-
 to a praelato quid faciendum.

Pone secundum Foller. in constitut. prima, de sum-
 ma Trinitate, & fide Catholica, quod praelatus fac-
 iat testamentum, & instituat heredem aliquem, &
 haeres virtute testamenti non aboli, neque vitiat, &
 cancellati petat se immitti in possessionem collector
 spoliatorum pro Camera Apostolica, vult se ex aduerso
 immittente, & apprehendere bona, quid faciet iudex,
 hanc quaestionem late tangit Inno. in c. cum in officijs
 de testa. & tandem distinguit, quod ubi constat in te-
 stamento praelatum reliquisse res Ecclesie, absque du-
 bio collector immittendus est, & expelletur haeres, &
 si propria auctoritate se in illis immiscuisset, punietur
 poena constitution. si quis in tantam, nec contradi-
 cunt, quae superius dixi ex doct. Innocent. & Bald. illa
 enim procedunt ubi non apparet, quod essent Ec-
 clesie. Sin autem dubitabitur, in illis bene potuit se
 2 immiscere haeres, maxime, quia nemo praelatus
 in ultimis constitutus, & sic relinquendo heredem,
 praesumptio resultat, quod non fecisset, si illa bona,
 essent Ecclesie, non tamen loquitur, an iudex requi-
 situs debeat illum immittente in possessionem, sed
 quod ipse haeres licite occupabit illa bona, Abb. in
 c. cum esles eod. tit. in rep. numero 21. cum seqq.
 latius punctum quaestionis tangens dicit, quod ubi
 dubitatur an illa bona fuerint acquisita ante pro-
 motionem haeres tenebitur in possessione, quouque
 constat de iure Ecclesie, & tunc praesumuntur acqui-
 sita tam de redditibus proprijs, quam Ecclesie, &
 ideo de illis omnibus testari non potuit, & sic loqui-
 tur etiam ipse de haerede, qui de facto occupauit
 bona defuncti, non autem quando peritur a iudice,
 ut immittatur, & hoc etiam casu videtur loqui Car-
 dinal. in consil. 79. incip. Redemptoris nostri, & Inno.
 in dict. capitul. cum in officijs, sed posset dici, quod
 haeres institutus non sit immittendus, nam possessio,
 3 quae erat apud Episcopum erat nomine Ecclesie, &
 continuatur in eius successorem, qui hodie est Camera
 Apostolica, absque corporali apprehensione, quia
 illa est penes Ecclesiam semper, quae non mutatur,
 nec variatur, licet praelati mutentur secundum Inno-
 cent. in capitul. cum semper. de caus. posses. & prop.
 & in capitul. in officijs de testam. Bart. in l. 1. §. vlti-
 mo ad fin. & in l. cum haeredes in princ. & ibi Ale-
 xand. vltim. de acquir. posses. Cast. in l. si forori
 post med. C. de iure delib. Guido Papa decisio. 335.
 vtrum praelatus, & decisio. 629. & Tiraquel. in tra.
 le mort. fait le vif. in praes. in versic. declara. vnde
 cum possessio sit penes Ecclesiam, haeres non potest
 in illam immitti, quia immittendus est haeres in pos-
 sessione illorum bonorum, quae tempore mortis re-
 periantur possideri per defunctum, secundum do-
 ctos. in dict. l. final. C. de edicto Dni Hadri. tolle.
 sed possessio praelati erat nomine Ecclesie in eius vi-
 ta, & in eius morte est Ecclesie, ergo cessat immis-
 sio, & legitimus contradictor erit collector spolio-
 rum, eo enim ipso, quod bona reperiuntur penes
 Ecclesiam tempore mortis praelati incumbit hare-
 dibus probare, quod illa non sint Ecclesie, & ex
 consequenti in illis non immittetur haeres, & bona
 reperiuntur penes Ecclesiam, quando remanserunt
 in domibus Episcopi tempore mortis, & nondum

fuerunt occupata per heredem, seu alium: putarem
 tamen distinguendum, quod aut bona relicta per
 4 praelatos post obitum reperiuntur penes heredem,
 & tunc non spoliabitur, sed audietur, & discutietur si
 bona illa sint Ecclesie, vel praelati propria, aut bona
 reperiuntur in domibus praelati, non occupata ab illo,
 & superueniat haeres, & petat se immitti in possessio-
 nem illorum vigore testamenti, & collector spolio-
 rum contradicat, & ipse petat immitti, & tunc non
 putarem erroneum sub sequestro illa poni cum fidelibus
 & solenni inventario, & interim discutiri si sint de Ec-
 clesie, vel de patrimonialibus, aut aliunde quaesitis, &
 ita seruatum fuit, in spolijs Archiepiscopi Consani,
 qui Salerni obiit, & fecerat testamentum, & institue-
 rat heredem hospitale Incurabiliu Ciuitatis Nea-
 polis, quod habet privilegium, quod quilibet Episcopus
 possit testari, & ei relinquere, & praedicta intelli-
 go, ubi dubium esset, an essent Ecclesie, vel propria;
 aut bona reperiuntur penes tertium, qui ius, vel ali-
 quid in illis pretendat, & reperiatur in possessione
 de facto, & tunc forte posset attentari, quod in illis
 immittendus esset haeres scriptus salvo iure Ecclesie,
 & deinde audietur collector spoliatorum, de quo vide
 Abb. in capitulo tertio, de pecul. cleric. ubi tangit
 quaestionem, sed quomodo auferetur possessio ab illo
 tertio possidente, cum etiam si tineret, ne partes
 deuenirent ad arma, non esset auferenda possessio
 a possessore: ita Bald. in l. acquissimum ff. de vfu-
 fructu in §. Iulianus, posset dici, quod procede-
 ret, quando ille tertius non contradiceret, vel non
 pretendere illius totale in illis bonis, cogitandum ad-
 huc relinquo.

RESOLVT. CCCCXXXVIII.

- 1 Camera Apostolica succedit loco Ecclesie in bonis reli-
 ctis per beneficiatum.
- 2 Acquisita per rectorem de bonis Ecclesie sunt ipsius Ec-
 clesie.
- 3 Nemo potest plus iuris in alium transferre, quam sibi
 competere dignoscatur.
- 4 Bona per praelatum relicta acquiruntur Ecclesie, dedu-
 ctis oneribus.
- 5 Bona beneficiorum sunt deputata ad supportanda onera
 tota anno vsque ad nouos fructus.
- 6 Sub nomine spoliatorum non veniunt paramenta deseruien-
 tia ad diuinum cultum.
- 7 Successor in Episcopatu, tenentur de spolijs, seu fructibus
 soluere salaria officialibus.

Camera Apostolica an teneatur soluere salaria seruo-
 rum Episcopi mortui.

SVpposita conclusione, quod reuerenda Camera
 1 Apostolica subintret in locum Ecclesie, quo ad
 successionem in bonis per beneficiatum defunctum.
 relictis, ut attestatur Redoan. in suo tractat. de sol. 4.
 par. numero 2. per decisio. Rot. 855. incipit cum Ca-
 mera Apostolica in antiquis in tit. de probat. & quod
 2 acquisita per rectorem defunctum de fructibus Ec-
 clesie sint eiusdem Ecclesie, ut per cap. praesenti de
 offic. ordin. in 6. & in cap. relatum 162. de testam.
 & cap. quia sepe de elect. etiam in sexto, & quod Ec-
 clesia habeat intentionem fundatam in eis, ut reuert
 Abb. in capitulo primo, de pecul. cler. versicul. & nota
 sic, & quod d. reuerenda camera idem ius habeat per
 regulam, is qui in ius succedit alterius, illo iure, quo
 illo uti debet de reg. iur. in 6.
 Tamen arguendo adduco aliam regulam in dict.
 tit. de regul. iur. in 6. nemo scilicet potest plus ius
 in alium transferre, quam sibi competere digno-
 3 scatur. Ex qua regula arguo, quod camera non pos-
 test

RESOLVT. CCCCXXXIX.

test habere plus iuris, quam habebat Ecclesia, seu successor, & regula pro ipsa allegata retorquetur, scilicet, quod solum possit uti illo iure, quo poterat Ecclesia, vel successor, de iure autem bona per prælatum relicta, acquiruntur Ecclesie, vel successori solum deductis, & solutis debitis, & supportatis oneribus incumbendis usque ad novos fructus, & pro seruitoribus, & ministris Ecclesie, & sustentatione, noui successoris, ut in cap. final. Porro de offic. ordin. in 6. & ibi Ioan. Andr. Francisc. & Gemin. & notat Ludovic. Bolog. in addit. ad consil. Ioan. de Anan. 83. ad finem, & exceptio prædicta est fundata in bono, & honesto iure, quia bona, & fructus beneficiorum sunt deputata ad supportanda onera toto anno usque ad novos fructus, ut not. Gemin. in dict. cap. final. Porro in 3. notab. & Gig. de pens. quæst. 39. numero 6. ad finem, & Couar. in libro 1. variar. resolut. cap. 15. num. 12. versic. prius tamen, alias enim si camera omnia haberet, Ecclesia defraudaretur debitis seruitijs, quia nihil remaneret pro necessarijs Ecclesie expensis faciendis, & esset contra mentem extrauag. Ioan. xx. 1. quæ incipit suscepti regiminis de elect. 2. & 3. qui statuit, quod successor tantum habeat de fructibus perceptis, quantum sufficit ad onera Ecclesie supportanda, quare priuilegia concessa Renerend. Cameræ non debent esse in damnum alterius l. 2. §. si quis a Principe ff. ne quid in loc. pub. & quatenus essent in damnum retrahendi, vel reuocari deberent c. suggestum de decim. ubi doct. & assentit Gemin. in dict. cap. Porro in 2. quæst. unde cum successor in beneficio teneatur ad incumbenda usque ad novos fructus, ut supra est allegatum, si camera in eius locum succedit ad ea etiam teneatur ex reg. qui sentit onus de regul. iur. in 6. res enim transit cum suo onere vulgata regula, & sic deducenda sunt, quæ pro obsequijs Ecclesie faciendis sunt necessaria Abb. in cap. 1. num. 1. de solutio. item necessaria sunt pro expensis, & salarijs seruitorum, & familiar. cap. videntes, & c. Episcopus, & cap. penul. his ita 12. quæst. 1. Innocent. in cap. indecorum de grat. & qual. ordin. a. 1. finem, & distincte secundum qualitatem personarum, prout magis, & minus conuenit tradit Flamin. Paris. in libro 5. de resignat. benef. quæst. 6. a. num. 145. incipiendo a versic. pendens igitur, usque ad numero 154. vide Redoa. in dict. tract. de spol. quæst. 10. n. 36. versic. dicta decisio, & numero 37. neque sub nomine spoliatorum, veniunt paramenta, & alia ad vsum diuinum a defuncto rectore relicta, neque cathedre scam. na, & alia de quibus in Bulla Pij V. incipit, Romani Pontificis publicata anno 1567. quæ omnia sunt a collectore relaxanda, tum Ecclesie, tum successoribus, tum etiam hæredibus, ut supra de iure est dispositum, & in proprijs terminis, quod de redditibus, prouentibus Ecclesiarum sunt exoluenda salaria seruientibus illis, ut etiam tenuit Cassad. in decisio. 19. titul. de præben. ubi inquit, quod si non esset expressus verus valor, gratia non valeret, tamen ad fomentandum gratiam poterunt deduci salaria, quæ dantur deseruientibus Ecclesie, & sic sustinebitur gratia, ut voluit Bartol. in l. diuortio in princip. ff. sol. mar. & voluit Abb. in c. relatum el. 2. de testa. numer. 8. & addes quod etiam successor in Episcopatu tenetur de spolijs, seu fructibus soluere salaria seruitoribus, & officialibus, ita pulchrè in capitulo prefens de officio ordin. libr. sexto, & capitulo, quia sæpe de election. eod. titul. clemen. statutum de electio. & voluit Abb. in cap. primo de solutio. in quantum suppetunt vires spoliatorum, & pulchrè per Franc. Mar. in decisio. 436. in ea parte, ubi etiam ponit an pro illis debitis teneantur heredes in patrimonialibus.

- 1 Clerici sunt exempti ab exactionibus pro publicè necessitatibus.
- 2 Imponentes exactiones clericis sunt excommunicati.
- 3 Clerici non tenentur ad gabellam impositam a laicis pro reparatione murorum.

An ut clerici teneantur ad collectas pro publicis necessitatibus impositis, requiratur licentia Pontificis?

Q Vicquid sit de iure communi, clerici regulariter sunt exempti, etiam quoad exactiones pro necessitatibus, & vtilitatibus publicis, & communibus, non obstantibus legibus ciuilibus, & regijs contrarium disponentibus, nam iure Canonico, cui omnino in hoc standum est ita clarè disponitur, ut in d. c. non minus, & c. aduersus de immunitate Ecclesiarum, quæ de exactionibus pro vtilitatibus, & necessitatibus communibus, expresse loquuntur, & eorum forma seruanda est, alias imponentes, incurrunt excommunicationem, de qua ibi, & innouantur in Concil. Lateran. sub Leone X. sess. 9. de reform. Curie, & aliorum, §. cum in bulla cænæ Domini, c. 18. ubi excommunicantur imponentes, & exigentes huiusmodi collectas, & alia onera, sine Romani Pontificis speciali, & expressa licentia.

Et hanc sententiam contra legistas tenent Ioan. Andr. & Abb. a. num. 18. & alij in dict. cap. non minus idem Abb. consil. 3. 1. p. Hostien. in summ. tit. de immunit. §. a quibus, versic. ad extraordinaria Bart. & Paul. in cap. ad instructionem C. de sacros. Eccles. las. in l. placet C. eodem n. 14. & 17. in 1. lectura, & in 2. n. 20. Berous consil. 31. vol. 1. Gregorius Lopez in l. 54. tit. 6. pag. 1. versic. en las calzadas, Ioan. Gutierrez. pract. 9. lib. 1. q. 3. & D. Sahagun in cap. 2. de iudicijs ex n. 25. ad 38. Angel. in su. n. n. versic. immunitas §. 35. Sylu. eod. versic. 1. n. 20. Molin. d. disputat. 672. num. 4. & 5. Eman. Rodriguez in addit. ad explicationem bullæ cruciatæ §. 9. num. 72. & Card. Toletus in sum. lib. 1. c. 29. in Romana editione.

Et tenuit Rota in vna Valentina de anno 1596. coram Illustriissi non Pamphilio, nempe, quod clerici non tenentur ad gabellam impositam a laicis pro reparatione murorum, pontium, viarum, nisi fuerit de licentia Pape ex dictis, in qua etiam 4. Decembris 1595. & 29. Ian. 1596. coram eodem fuit resolutum, inhibendum esse iuratis, & alijs litis confortibus, ne litigante exigant ab Ecclesiasticis dictas gabellas, cum habeant suam intentionem fundatam.

RESOLVT. CCCCXL.

- 1 Prelatus viuens est usufructuarius, & Ecclesia est domina.
- 2 Acquisita de bonis Ecclesie, sunt in prouisione Ecclesie.
- 3 Mortuo prelato, usufructus consolidatur cum proprietate ad beneficium Ecclesie.
- 4 Mortuo prelato, si bona occupantur per hæredes, Ecclesia agit actione furti, & alijs actionibus domino competentibus.
- 5 Successor in beneficio consequitur ius a superiore, & non a defuncto, secus verò est in hærede.
- 6 Procurator Ecclesie est dicendus prelatus.

Collector Apostolicus habet intentionem fundatam quod bona prælati sint quæsitae intuitu Ecclesie.

Quod in titulo resolutum est, veritatis congruit, & probatur ex eo, quod prelatus viuens est usufructuarius.

tuarius, & Ecclesia est Domina, textus est formalis in cap. si quis sanè, quod est fin. & ibi per Doct. extra de pecul. cler. tex. in cap. res Ecclesie in cap. expedit. in cap. priuatum 12. quest. 1. bonus textus in cap. Episcopi de rebus eadem causa, & questione ubi probatur, quod acquisita de bonis Ecclesie sunt in prouisione Ecclesie, notat expressè Innocent. in cap. indecorum extra de etat. & qualit. & expressè glos. & ibi per omnes scribentes in cap. final. quod incipit presenti de offic. ordin. in 6. tenet expressè Bald. in consil. 313. incip. pramittendum est ad euidenciam in secundo volumine: mortuo igitur prelato, Ecclesia remanet

3 Domina, & ususfructus predictus extinguitur, & cum proprietate consolidatur, iuxta text. in §. finitur institut. de usufruct. & in cap. fin. extra de pign. taliter, quod Ecclesia continuat dominium, quod viuente prelato habuerat, & ideo dicebat Ioannes Andr. in capitulo. cum officiis columna secunda, versicul. sequitur extra de testament. quod mortuo prelato, si talia bona occupentur per heredes prelati, vel alium, Ecclesia non agit contra occupatorem crimine expilatæ hereditatis, sed agit actione furti vi bonorum raptorum, rei vindicatione, vel alijs actionibus Domino competentibus, quia Ecclesia dicta bona vendicat non tanquam heres, sed tanquam domina, & ad hoc accedant notata per Doct. & maxime per Panor. capitul. 1. in princip. extra de solution. notat differentiam inter successorem in beneficio, & heredem, qui dicit, quod successor in beneficio ius consequitur a superiore, & non a defuncto, secus est in herede, ut ibi per eum, & hoc de plano procedit respectu bonorum, vel pecunie, quæ remanserunt post mortem prelati, respectu autem actionis competentis pro rebus, vel pecunijs Ecclesie debitis, similiter est expeditum, quod actiones sunt taliter acquisitæ per Ecclesiam, quod prelatus habet exercitium dictarum actionum, ita quod actiones directæ sunt penes Ecclesiam, ita notanter dixit Innocent. quem ibi sequitur Philip. Franc. & ceteri in c. presentium de testib. in 6. & ideo prelatus dicitur procurator Ecclesie probat. tex. in cap. 2. extra de donat. & propterea debet agere, vel conueniri nomine Ecclesie, & non proprio, probat text. notab. in c. olim el. 1. extra de restit. spol. c. querelam extra de elect. notant Doct. maxime Ioannes Andr. in c. ex litteris extra de probation. & in cap. edoceri ubi etiam per eundem Ioannem Andr. extra de rescr.

RESOLVT. CCCCXLI.

- 1 Licentia testandi concessa à Papa, morte ipsius Papæ re integra expirat secundum Couar.
- 2 Gratia etiam re integra, non expirat morte concedentis.
- 3 Facultas testandi non restringitur ad primum testamentum.
- 4 Prelatus vigore facultatis testandi, potest reuocare primum testamentum, & facere secundum.
- 5 Testamentum iam factum ex superueniente facultate testandi conualidatur.

Nuncius Apostolicus, an possit facere spoliū de bonis clericorum, cui concessa est facultas testandi; mortuo tamen Pontifice, qui concessit dictam facultatem.

Tota difficultas presentis articuli, de quo sapissime consultus fui, versatur presertim in eo, an facultas testandi clericis, concessa morte Pontificis expiret, & consequenter si Nuncius Apostolicus possit facere spoliū de bonis clericis, cui predicta facultas erat concessa, si sede vacante, clericus ipse decessit testatus, & pro resolutione dicebam, quod

Couar. in cap. cum in officiis num. 8. versic. quæ ratione extra de testamentis post Socin. iun. consil. 89. lib. 1. firmare videtur, quod licentia testandi à Papa, praelatis concessa morte Pontificis (re integra) expirat ea ratione, quia hic actus odiosus est, & ideo morte ipsius authoris extinguitur.

Ipse verò contrarium verius esse ostendam ex eo, quia talis facultatis concessio fit gratia ut latè demonstrat Ioan. Mandosius de signatura gratiæ sub titul. de licentia testandi, unde sequitur, quod gratia etiam re integra morte concedentis non expirat, etiam si solo verbo facta est, ac desuper nulla confecta sit scriptura. Gabriel de prebendis conclusione 1. presertim num. 1. & 2. cui addo Nattam in loco mox citando n. 5. & in terminis, quod huiusmodi facultas testandi duret etiam post mortem Pontificis concedentis (reprobatis expressè Socino iuniore, & Couar. ubi supra) firmat Franciscus Sarmient. de reddit. Ecclesie par. 4. versic. 2. cauendum est: predictorumque fundamentis respondet, & pro hac parte se subscribere Burlat. & Natta, qui in eademmet causa consuluerunt, ille consilio 29. lib. 1. hic autem in consilio 647. lib. 4. quam opinionem inuenio fuisse per Rotam amplexam de presenti anno 1578. & die 24. Ianuarij in vna Pientina facultatis testandi coram R. P. Domino meo de Rubeis incipient. in quadam causa Pientina versus finem, ibi quantum verò attinet ad secundam principalem difficultatem etiam Rotali decisione fuissimè, sed tamen moderna methodo, iuribus scilicet rationibus, & autoritatibus reprobatur aliud dictum eiusdem Couar. ubi supra volentis, quod facultas testandi restringi debeat ad primum duntaxat testamentum, iuxta consilium Decij 512. & Socin. iun. eod. consil. 89. 1. volum. pro quo sunt, & Tiracquel. in l. boues §. hoc sermone. num. 128. de verb. signific. Burlat. consilio 3. num. 56. & Redoan. de spolijs Ecclesiasticis quest. 7. n. 18. quibus addo Gabriel. idem firmantem de legibus conclusione 2. numer. 18. ac concluditur (predictis, omnibus reprobatis,) quod Episcopus vigore facultatis testandi potest primum testamentum reuocare, & facere secundum, dummodo alia solemnitates requisitæ interueniant, ut ibi amplissimè.

Num verò testamentum, iam factum ex superueniente facultate testandi conualidetur, in qua Mandosius ubi dixi versicul. final. residet cum affirmatiua iuribus ibidem videndis.

PRAXIS SVRREPTIONIS GRATIÆ.

RESOLVT. CCCCXLII.

- 1 Gratia dicitur gratis data.
- 2 Gratia dicitur ante, & post executionem.
- 3 Tunc dicitur gratiosè aliquid fieri, quando fit mera liberalitate.
- 4 Gratia specialis quæ conceditur alicui super certo delicto.
- 5 Gratia generalis, quæ fit à Principe in letitia generali.
- 6 Gratia generalis appellatur decretum gratiosum.
- 7 Gratia redditur nulla subreptione, vel obreptione.
- 8 Subreptio taciturnitas rei, quæ expressa, vel fieret, vel non fieret gratia.

Notabilia aliqua in materia gratiæ.

Pro intelligentia infra dicendorum notandum est primo, quod gratia dicitur gratis data c. gratia 1. q. 1. Alexand. consil. 7. attentius in princip. lib. 7. & ita dicitur gratia ante executionem, sicuti post executionem Gemin. consil. 65. num. 5. versic. in contrarium, & dicitur gratiosè aliquid fieri, quando fit ex mera